



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Lvgdvnensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67132)

PROVINCIA
LVGDVNENSIS.



SVNT de nostris in Lugdunense
Prouincia centū & octoginta tres.
Lugduni quattuor & viginti. Sex
& triginta Turnoni. Auenione
quattuor & quadraginta. Cambe-
rij duodeniginti. In Billomensi Collegio vndequa-
draginta. In Dolano duo & viginti. Mortui sunt
septem. Vnus & triginta recepti.

LVGDVNENSE, ET TURNO-
nense Collegia.

QVAM QVAM hic annus Lugduno pe-
stilens fuit, tamen præclara Dei Opt. Max.
in suis custodiendis famulis prouidentia, cū
per totam serperet vicinitatem pestilentia conta-
gio, ad nostras ades numquam pertinuit. Missæ sunt
tantisper scholæ, dum ea vel remitteret vel abiret;
æaq. prima fere hyeme studijs acrioribus repetitæ.
Ex hæreticis, nostrorum suasu hortatuq. non pau-
ci Ecclesiæ iam præceptis obtemperant. quam-
quam edicto regio pene compulsi ad id animum
complures inducunt. sed Archiepiscopi inssu ad

Ecclesiam, nisi lente probati non admittuntur. In
 lustrandis ceteris oppidis data est item opera euellē
 dis haresibus; & in quibusdam tantum concionum
 studio laboreq. perfectum, vt plurimi de sua secta
 dubitare iam cœperint: sed lucem plerique fugiunt,
 & eos qui ad lucem vocant: nec vllum tempus
 omittunt, quo vel ceteris Catholicis vel nostris in-
 commodent. In huius Collegij Prioratu, Sacerdos
 è nostris dum ipsius Collegij res agit, proximumq.
 eius rei causa in oppidum diuertisset, noctu capitur
 oppidum, incolæq. ab hæreticis vniuersi, & hic ipse
 Sacerdos: qui veluti mancipium, hæreticorum dedu-
 ctus in urbem, multa ab ijs tulisset indigna, nisi eua-
 dendi viam Dominus ostendisset. custodijs enim in
 somnum lapsis, de fenestra sese demisit, postridieq. in
 id oppidum, quod nefarij homines occupauerant, ua-
 statumq. reliquerant, redijt. ibi præcipua Prioratus
 documenta, de quibus magis, quam de suis vincu-
 lis laborabat, intacta reperit: atque inde quampri-
 mum domum cum domestica præda reuertit.

Illud etiam Lugduni in Ecclesiæ rem gestum est.
 Est amplissima Parœcia templum, vbi conciones sæ-
 pe habentur à nostris, centū fere ab hinc annis ex-
 tractum, sed propter vastitatem ac magnitudinem
 nondum vsquequaque perfectum. pars enim deside-
 ratur anterior, quam cum ciues tamquam ex symbo-
 lis perficiendam curarent, strenueq. rem vrgerent,
 quibusdam offensionibus interpositis desiterunt.
 Nostris igitur quicquid erat controuersia compone-
 re aggressi, cum res multo sudore pacassent, fecerunt
 deni-

denique, ut opus illud longo interuallo intermissum
 repeteretur. & quò magis ciuium studia incenderet,
 pecuniam illam, quam concionatoribus offerri mos
 est, cum eam ipsi concionis nomine accipere per So-
 cietatis instituta non possent; ad adis ornatu instru-
 etuq. reijciendam putarunt, non minore hominum
 commendatione, quam sacrorum opportunitate. Sed
 referunt nobis gratiam ciues optimi, quorum tam
 multa extant suæ benignitatis in nos argumenta, ut
 si quis ea colligat vniuersa, satis habeat negotij.

Quid hic commemorem sacram pretiosis autã mu-
 neribus supellectilem? longa esset oratio de ele-
 gantibus varioq. instructis opere candelabris, de ca-
 licibus, de lancibus, de magnificis lychnis auro ar-
 gentoq. celatis, de reliqua denique ciuium liberali-
 tate, qua non modo sacrum, sed etiam domesticum
 instrumentum locupletarunt. tantum dico, ciuitatem
 multis egregijsq. benignitatis inditijs sapissime de-
 clarasse, quo apud se loco numeroq. Societas sit: ex
 quo fit, ut quantum ea propensa videatur in nos,
 tantum nos spei fiduciæq. concipiamus, non frustra
 apud eam vigilias nostras laboresq. consumptu iri.

Tulit & TVRNONENSIS ager satis vberes
 fruges. sexdecim ad Societatem animum adiecerunt,
 optimæ omnes expectationis, & vno excepto, qui
 ad res domesticas destinatur, litteris satis instructi.
 Ex his quidam cum ad diuinas uoces obsurdesceret,
 in morbum incidens, sensit suæ pertinaciæ pœnas
 diuinitus sumi, statuitq. quò Deus duceret, eò sequi,
 nec ita multo post releuatus est morbo. sed beneficij

immemor ac propositi, cum in patriam refugisset,
 exagitari iterum captus est morbo, dum ad extre-
 mum in animum induxit, illustriores diuina volun-
 tatis significationes non expectare: relictâq. patria
 ad Societatem sine cunctatione se contulit. Ne
 alius quidem silendus est adolescens, quem inge-
 nium nobilitasq. commendat; qui dum se ad studia
 legum à parentibus ablegandum animo prospicit,
 importunitate precum aditū Societatis extorquet.
 custodiebat adolescentis vitam domesticus pedago-
 gus, quem ut abiens falleret, hominem adornat &
 instruit, qui tantisper pedagogum ipsum dum præpa-
 rata cymba Turnone solueret, remoretur. verum
 cum mox eum magister requireret, et quò pergeret,
 accepisset; diurna nocturnaq. nauigatione profugum
 anteuertit, & militari comparata manu cõsequitur
 fugientem, Turnonemq. reducit. ibi numquam à suo
 latere adolescentem abesse patitur; sed ille fugâ sem-
 per intentus, in musæolum familiaris condiscipuli
 sese abdit. interim magistratus iussu conquiritur,
 non apud nos modo, sed in alijs quoque adibus, ubi
 suspicio aliqua resideret. propositaq. pœna edicitur,
 ut conscij adolescentem prodant: & ne quâ posset
 euadere, disponuntur vbique custodia. verum ille
 constanti animo vestem mutat, & vinitoris indu-
 tus ornatu è ciuitatis oculis se subducit. interim ci-
 tatis ad nos gressibus properantem alius rursus à
 pedagogo missus insequitur, cui didascalus fidissimo
 velut amico, quærendi insequendiq. discipuli, & ad
 suos denique reducendi negocium dederat. sed is, quæ
 fuit

fuit diuina prouidentia, consecutus adolescentem, Auenionem ad tyrocinium vsque deduxit. atque hic demum deuictis nouo praelio domesticis, latus agit, nobiliores pertractans animo pugnas atque victorias, quam quæ vel cum domesticis ineuntur, vel ex patrio maternoq. sanguine reportantur. Non minor letitiæ seges hæreticorum ad Ecclesiam reditus, quam Catholicorum ad Societatem accessio fuit. vna habita concio septem conuertit hæreticos, eodemq. præsidio alijs oppidis valde consultum. Sedunum, quæ Heluetiorum ciuitas est, Valésiaq. metropolis, Sacerdos missus, virum primarium hæreticum aliqui doctum, cuius studium erat nobilissimo cuique ciui hæresim instillare, imbecillasq. mentes ad omnem pertinaciam instruere, sic immutauit; vt & sacrosancto Missæ sacrificio & concionibus semper adsit, maximamq. vim populi secum trahat. Diuertit etiã in itinere ad Abbatem Societatis amantissimum, qui patris hilaratus aduentu, iudicem quemdam hæreticum vocauit ad eam; quem suo congressu pater, si fieri posset, ad meliora conuerteret. Res cecidit vt optabat, hominemq. pater ad meliorem mentem incredibili ipsius Abbatis voluptate traduxit. Demum reuocatus Archiepiscopi Ebredunensis rogatu, & Camberij dies aliquot remoratus, Ebredunum cum fratre contendit. sed simul ac in agrum Ebredunensem vestigium posuit, tristes nuntij de occupata ab hæreticis vrbe perferuntur: vt referre pedem inuitissimus sit coactus.

A V E-

AVENIONENSE, ET RELIQA
Collegia.

AVENIONENSE Collegium in summa bellorum trepidatione, proditorum metu, rerumq. necessariorum penuria, incolume divina benignitas conseruauit, & quidem Gymnasio refertissimo quàm cum maxime. Probationis vero domus huic adiuncta Collegio suis quoque tironibus augetur. ac præter eos, qui Billomum missi sunt, dū expeditum ac liberum Auenionem ab hæreticis iter pateat, sexdecim ex vniuersa Prouincia cooptati sunt.

Ad aquas Sextias, Cabilionem & Grimanū non obscura Noſtri & charitatis, & industriae suae vestigia reliquerunt. Ex hæresum face sexdecim, & in his duos de principibus ad amicitiam Catholici nominis adiunxerunt. Sacerdotes porro cœnobita duo ex nobilissimis uterque familijs, cum ad hæreticos trāsfuissent, & Gebennā aliasq. hæreticorum prouincias multos annos incoluissent, tandem nostrorū opera in nauem Petri reuersi, post eiuratam solemnem ritum hæresim, ad suum vterque cœnobium, peccatorum dolore commoti se retulerunt. Hæretico vero alij, vna Dei bonitas, nulla nostra opera, vt veritatē comprehenderet, persuasit. Is susceptus & educatus in hæresi, cum è nostris nullum vidisset vquam, statuit apud animum suum, patria vanitate contempta, et Catholicorū partes sequi, et, quod est admirabilius

bilius, effici Iesuita. iniecit hanc illi mentem Deus-
 tum cum ad bellum cōtra Catholicos est profectus.
 quare inscijs omnibus, ipse diues, & in civili iure
 versatus (posuit enim in eius cognitione fere quin-
 quennium) pedibus ad nos venit: vbi dum ad Socie-
 tatem sit quotidie paratior, familiariter nobiscum
 agit magna eorum admiratione, qui eius in Christia-
 na pietate gradus & quasi processus agnoscunt. Ex-
 cessit è viuis Auenione frater quidam rei domesti-
 cæ administer, cuius virtus minime dubium est, quin
 ei facilem in cælum aditum patefecerit. Duos &
 viginti annos in Societate consumpsit, ea probitate
 ac sanctimonia, vt prope miraculo ceteris esset. ac
 ne ceteras laudes colligam, documentum pietatis
 fuit, & obedientiæ singularis. qui cū appropinquan-
 te morte rite maculas eluisset, pœna, quam Sacer-
 dos irrogauerat, persoluta, Me beatum, inquit, se
 nunc in cælum raperer: statimq. quod orauerat, ex-
 orauit: uotum enim subsecuta mors est, & quidem id
 mortis genus, quam quatruidui acres torminum cru-
 ciatus intulerant: vt vitam laudabiliter actã nouæ
 patientiæ gloria terminaret.

BILLOMI scholas nostras frequentant di-
 scipuli fere quingenti, quos non minor virtutis, quã
 literarum amor accendit. Multi ad cænobij discipli-
 nam sua sponte propendent, præsertim ad nostram,
 quò tamen nemo nisi probatus admittitur. Dum
 Auenionem interclusum est iter, retinentur in hoc
 Collegio Nouitij. quamquam autem Collegium ip-
 sum eo in oppido collocatum est, quod neque natura
 neque

neque arte munitum, hostium direptionibus facile patet; tamen diuina benignitate, ac pijs suoribus, vt interpretamur, officijs, ab omni hostili impetu tutum & incolume conseruatur.

CAMBERIENSE, ET DIVIONENSE
Collegia.

CAMBERII in tuendis colendisq. animis plurimum opera & studijq. consumitur: sed huius anni res gesta, praesertim quae interiores nostraeq. sunt, nihil ferme habent, quod litterarum commendationem desideret. Gymnasium duabus classibus auctum est. & ad coemendas rei litterariae causa proximas quasdam aedes, quod satis erat argenti ciuium benignitas detulit: vt iam de ipsius amplificatione Gymnasij magnopere cogitetur. Vigent studia sacramentorum cum in omni hominum conditione, tum in nobilibus ac primarijs. Dataq. est opera, vt sanctissimum Eucharistiae sacramentum adorandum in singulis vrbis templis proponeretur: decretaq. diebus dominicis supplicationes, quibus vna cum nobilitate Maurianensis Episcopus & senatus interfuerunt: idq. non Camberij modo, sed etiam in vniuersa Sabaudia. Venit in Ecclesiae potestatem Gebennensis haereticus, & sectam publice detestatus, ritus iam Catholicos colit. Sed cum pro opibus ciuitati consultum sit, seu leniendis odijs, seu insanis hominum cupiditatibus restringendis, non tamen

pago-

pagorum externiq. agri utilitates omiffæ sunt. Nantuanum in oppidum Sacerdos missus Cardinalis Montis regalis rogatu, semestri spacio strenue pro animis laboravit. Ad quotidianas fere conciones catechismum adiunxit, quem apud multitudinem bis inter hebdomadam explanabat. Ac videtur eò pater sane diuinitus destinatus: nam non ita multo ante Claudius quidam cœnobij religionisq. desertor, & Gebennensis minister, quò magis ex insidijs simpliciū animos falleret, ornatu sui ordinis repetito, partim prauis serendis dogmatibus, partim pessimo vitæ exemplo, totam fere Nantuanam Ecclesiam Gebenna finitimam corruerat ac fœdarat. sed assidua Sacerdotis nostri opera, adiuuante Deo, ex deprauatis iam mentibus hæresum venena discussit. Extrema autem quadragesima Gebennensis agri femina, vbi casta religioni nihil est loci, cognito nostri concionatoris aduentu propinquum in oppidum, eò statim confessionis causa conuolarunt, susceptisq. confessionis communionisq. mysterijs, incredibili gaudio vnde abierant, redierunt. Matrona nobilis nocturnis perturbata terroribus (apparebāt enim cæca in tenebris vmbra fœdaq. monstra, quæ vel de die quoque mulierē affabantur) vt ea à se in perpetuum abigeret, consilium cœpit purgandi rite animi apud nostros. quod cum fecisset, & celesti se pabulo confirmasset, vacauit aliquamdiu ijs molestijs, quibus antea carere non poterat. atque vbi ad eadem postea arma confugit, tutam in hanc vsque diē liberamq. se reddidit.

In Collegio DIVIONENSI pestilentiae interuentu litterarum remisit ardor, transtulimus scholas in pagum quemdam, media situm Burgundia, Ducum olim sedem ac domicilium. Sed cum plurimos popularis quaedam pestilensq. tertiana parum perspecta medicis occuparet, intermissum est tantisper docendi munus, dum illa recederet: idq. mense Nouembri Diuioni repeti captum est. Duo ex hoc Gymnasio decursis philosophiae spatijs, reliquam aetatem sibi degendam in Societate putauerunt: nimirum ut totidem fratrum, qui cum philosophia uita curriculum confecerunt, damna sarcirent. Instituta est autem Diuioni sodalitas, cui dederunt nomina, rhetores philosophiq. circiter sexaginta: ubi dum more suo ad pietatem sese exercent cultumq. Deiparae, placuit totius Burgundiae Proregi, Maxenaeo Duci, eorum exercitationes cohonestare, & uespertinis aliquando precibus, quas soleni cantu peragerent, interesse, quem exeunt plurimi lectiq. adulescentes uario carminis genere Hebraice, Graece, Latinae, Gallicaeq. consalutarunt. Is postea quo tempore bellicis distinebatur occupationibus, uoluit a filio suo in aedificationem noui Collegij primum lapidem rite iaci: ut in eo Collegio & litterarum & uirtutis sibi exstrueret aedificium, cui exaedificando primum aliquando lapidem & fundamenta iecisset. Summa cerimonia acta res est: nec hominum admiratione minore, qui tam turbulento tempore, eius substructionis fodi cernerent fundamenta, quae ne pacatis quidem tranquillisque rebus sine multorum annorum

annorum impensis ad fastigium uidebatur posse per-
 duci. Et uero, ut postea caelestis se prouidentia pa-
 refecit, intelligimus nequaquam è re nostra futu-
 rum fuisse; si ea opportunitas laberetur è manibus,
 quæ nisi multis annis post, ut ex rebus præsentibus
 conijci licuit, reditura non uidebatur. Nunc uero
 præter omnium expectationem adiectis piorum li-
 beralitate subsidijs, rem fabricæ eò usque perduxim-
 us, ut nisi nascentibus morbis ac pestilentia, quæ
 nostros afflixerant, cedendum esset, amplissimas iam
 habituri classes, & luculenta cubicula uideremur.

Reddidit & suos fructus D O L A N V S ager,
 ubi & in Societatem recepti sunt duo, & ab hærese
 auersi nonnulli, plurimiq. à vitijs & contentioni-
 bus auocati. Quod ad rem sacramentorum attinet,
 pascuntur caelesti pane celebrioribus anni diebus
 fere quingenti. atque ut frequentia hominum consu-
 latur, amplissimo quodam regie munere maiestatis,
 ex quo quattuor francorum millium, id est, aureorū
 mille summa redacta est, sacellum peramplum ex-
 structum est. quod aliorum quotidie dilatat & lo-
 cupletat humanitas. Gymnasium nouis theologiæ
 & philosophiæ scholis amplificatum est, constatq.
 auditoribus octingētis è varia multipliciq. natione.
 Probatum autem disciplina ratio mirifice: actumq.
 in Burgundia comitijs est, ut in comitatu omni Bur-
 gundia eandem docendi rationem easdemq. leges
 Gymnastorū moderatores teneant: nec alios suis di-
 scipulis auctores, nisi qui à nostris Doctoribus ex-
 planantur, explanent: ut deinde adolescentes, qui ad
 nostras

nostras migraturi sunt scholas, nostris iam legibus
assueti, institutoq. docendi, facilius quæ sunt maiora
capessant. Ac præter hoc de Societate nostra in-
dicium, eorundem comitorum beneficio, no-
bis est tum quarundam pretium adium,
quas ante conparauimus, persolu-
tum, tum reliquum æs alie-
num quo premeba-
mur: ut ad fran-
cos mille
sexcentos muneris summa
peringat.

